

Quæ verò in alio quàm medio Diametri punctocum eâdem concurrunt, Diametrumq; in inæquales partes dividunt, earum, quæ majori Diametri segmento sunt propiores, majores sunt, reliquæ, quò magis ab eodem segmento removentur, eò breviores fiunt; omnium deniq; brevissima est, quæ proximè minus Diametri segmentum.

Si tamen ex utraq; Diametri parte exq; eodem ejus puncto, numero æquales, distantijsq; utrimq; æqualibus, plures lineæ ductæ fuerint: æquabuntur iterum binæ semper lineæ, quæ scilicet utrimq; æqualiter à majori minorive Diametri segmento absunt.

Lineæ porrò Diametrum Circuli interfecantes, iterum aut ad rectos aut ad obliquos eam secant.

Linea, quæ Diametrum ad angulos rectos interfecat, eadem per Diametrum bisecatur.

Hinc facilimum fuerit sequentium Problematum praxin instituerè.

*PROBL. I. Quomodo dati Circuli Centrum inveniri debeat.*

Dato circulo, cujus centrum nescias, due lineam intra circumferentiam ejusdem quamcunq;, eamq; biseca, & per punctum bisectionis due aliam lineam priori ad angulos rectos, quam si iterum bisecueris, erit punctum bisectionis centrum circuli quæsitum.

*II. Quomodo dati segmenti (vel arcus) Circularis centrum inveniri, ipseq; adeo circulus ex eo segmento compleri & perfici debeat.*

Dato segmento Circuli, divide illud per punctum quod

N 3 cunq;